



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.  
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana  
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1673**

Capitvlvm III. Ab eo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

n. 8. in 6. arg. l. *Aequissimum*. aliàs incipit: *scilicet* 53. §. *Sed si*. ff. de *Vsu fructu*; idè- que haud dubiè dicendum, si alter possessionem non legitimè accepisse videatur, & alter ei per vim armatam auferre velit, nisi transactione res componi possit, sequestrum iudex per nobile suum officium imperabit, donec lis decisa sit. III. Si præsumptio sit contra possessionem, vt quod rem absumpturus sit, vel litem nimis producturus cum fructuum consumendorum periculo: vel rem de qua lis est non restitutus, si in iudicio victus sit; plerumquò tamen sufficiet cautio de rei aut fructuum restitutione; vti *Panorm. hic docet n. 16. & 23.* IV. Si dos apud Maritum bona dilapidantem periclitari videatur, sequestrari potest l. *Si cum dotem*. 22. §. *Si autem*. ff. *Solutio Matrimonio*. V. Si aliquis non præstet id quod ratione certæ rei præstare deberet, potest quandoque ea sequestrari, vt si Canonicus qui propter fructus beneficii residere, & ad Ecclesiam venire deberet, se absenter, interim fructus sequestrari possunt, donec causa decisa sit. arg. c. *Peruenit*. 28. de *appell.* & tradit. *Panorm. hic n. 13. Io. Monac. loco cit. n. 8.* VI. Si propter contumaciam Rei actor mittendus sit in possessionem bonorum, quandoque ea sequestrari possunt, vsque ad cautionem de parendo iuri, vt diximus c. *præced.* & in c. 2. de *dolo*, & tradit gl. in c. *Olim*. 25. verb. *sequestrari de rescript.* VII. In causis beneficialibus, quibus Actor ob contumaciam Rei, mitti non potest in possessionem beneficii, propter periculum vitiosi ingressus. c. 1. de *eo qui mittitur in 6.* Interdum beneficium vna cum fructibus sequestrari potest. arg. cit. c. *Olim.* & docet *Monac. cit. loc. n. 16. 17. Panorm. hic n. 17.*

3 Duo hinc addenda. I. Aliquando per sequestrum possessori auferitur possessio, & constituitur penes tertium donec lis decisa sit, si nimirum contentio sit de ipsa possessione, quisnam possideat, aut possidere debeat; tunc enim verum est, quod ait l. *C.* in l. *Licet*. 17. ff. *Depositi per depositionem rei penes sequestrum*, id agi, vt apud neu-

trum contententium possessio interim sit; interdum verò sufficit sequestrum vt custodem constitui, qui pro possessore possideat, donec causa decisa sit, vt in supradicta Exceptione 3. si possessor rem de qua agitur absumpturus videatur. II. Hoc loco agimus de sequestro quod à iudice fit, & dici solet necessarium, aliud verò est sequestrum voluntarium, quod ex partium consensu fit, de quo diximus in c. *Examinata*. 15. de *iudiciis*; & de hoc voluntario sequestro dicendum, à iure prohibitum non esse, sed speciem quandam depositi, ad eoque legitimum contractum, juxta *cit. legem Licet.* & tradit *Io. Monac. in cit. Reg. 48. n. 5.*

## CAPITVLVM III.

## Ab eo.

## PARAPHRASIS.

Reus condemnatus est ad petitas possessiones actori dandas, & cum appellasset à sententia, fructus possessionum dissipare cœpit, hoc casu sequestrari debent fructus, donec lis tota finita sit.

## SUMMARIVM.

1. Si intra decendum à sententia lata fuit appellatum, lis adhuc pendens censetur.
2. Si fructus possessionis petita dissipet ille, qui à lata sententia appellauit, sequestrari hi possum à iudice, nihil attendendo, an satisfacere ille possit.
3. Casu quo appellat quis contra executores, statim fieri potest sequestratio, aut rei si mobilis sit, aut fructuum si res sit immobilis.

NOTA I. Si à sententia intra decendum appellatum sit, lis censetur esse pendens, ac indecisa, consequenter si quid pendente appellatione mutatum sit, vel alienatio facta, rescindi potest per remedium, vt lite pendente nihil innouetur, vel vs res litigiosa non alienetur. Ita *Panorm. hic.*

dd 2

Nota

2 Nota II. Si is qui à sententia appellauit, fructus petiti possessionis dissipet, possunt sequestrari. Dicit aliquis, si possessor cui lis mota est, fructus ante latam sententiam dissipet, sequestrari possunt, propterea quòd fructus post litis contestationem percepti restitui debeant à possessore, si in iudicio succumbat. *l. Certum. C. De rei vindicatione.* Ergo nihil speciale est, quòd fructus sequestrari possint, si possessor post appellationem à lata sententia fructus incipiat dissipare. Resp. cum *Ioan. Andr. hic Panorm. n. 7.* discrimen esse, quòd ante latam sententiam fructus propter dissipationem sequestrari non debeant, si possessor ad satis dandum idoneus sit, prout dictum est. *e. praesed.* at verò post latam sententiam si appellans præter modum consuetum fructus dissipare incipiat, duplex contra ipsum præsumptio est, videlicet & propter latam sententiam, & propter dissipationem, ideò sine distinctione, vtràm satisfacere possit possessor, fructus à iudice sequestrari possunt, vti hic habetur, & in *l. Imperatores. 21. §. ult. ff. de appell.*

His adde, tametsi ordinariè loquendo fructus sequestrari nequeant propter possessoris appellationem nisi etiam dissipatio ac-

cedat, cum recepta regula sit, quòd pendente appellatione nihil innouari debeat. *l. 1. ff. Nihil innouare appellatione pendente.* at tamen si quis contra executorem appellet, tum statim sequestratio fieri potest, si res mobilis sit, aut fructum eius, si immobilis, vti habetur in *l. Ab executione. 5. C. Quorum appellationes non recipiuntur.* & tradit *Io. Monac. l. cit. gloss. in cit. l. Ab executione.* verb. *in deposito.* Ratio est, quia cum ab executore ordinariè appellari non possit, sed tantum si modum sententiæ iudicatæ excedere videatur, vti habetur in *cit. loco.* Ideò præsumptio esse solet, quòd malitiosè appelletur. Dixi autem paulò antè, possessore appellante à sententia definitiua, ordinariè non posse fieri sequestrationem, vti habetur in sæpius citata lege. Excipiendus est enim casus *Clem. Vn. huius tit.* si possessor beneficii, qui triennii pacificè possessione tutus non est, condemnatus ad beneficii restitutionem appellet, tum beneficium qualecunque id sit, per ordinarium loci sequestrari debet apud personam idoneam, quæ vicariam curam eius interim habeat, & ex fructibus congruè alatur, quod autem super fuerit illi restituitur, qui finalem in causa victoriam reportarit.

## TITVLVS XVIII. DE CONFESSIS.

### CAPITVLVM I.

#### Cùm Monasterium.

##### PARAPHRASIS.

Presbyter in iudicio confessus fuit homicidii crimen se commisisse, adiiciens id factum esse ex suggestione seu suasu quorundam aliorum; quæritur vtrum illi alii panæ obnoxii esse debeant? Negat Clemens III. puniendos esse, nisi aliunde constiterit eos noxios esse, quia secundum

**Q**UAE hætenus dicta sunt, ferè me pertinent ad formam & modum ordinandi iudicii, in posterum itaque dicendum erit de instruendo iudicio, per merita causæ seu probationis tam in genere, quam in specie. Sed quia omne genus probationis superat propria judicialis confessio, ita vt si ea facta sit, probatione aliâ opus non sit, ideò rectè hic agitur de Confessis.